



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

8. De vi, & ordine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

De vi, & ordine.

CAPVT VIII.

Circa impedimentum Vis, seu violentiæ, tria dicta sunt aduertenda.

Primum est, Matrimonium per vim, seu metum contractum, licet interior fuerit consensus, nullum est. Ita habetur cap. cum locum, & c. veniens i. de sponsal. & cap. significauit, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit. Tamen hic notare oportet, quod non quicumque metus dirimit contractum matrimonium, sed debet esse cadens in virum constantem: solet communis regula adhiberi hunc explicans, nimirum, quando maius est malum id, ex cuius metu id facit, quam illud quod ex metu facit.

Primo, cum minus malum facit, vt euitetur maius malum, vnde metus mortis propriæ, aut filiorum, aut rei fursumissionis, aut verum, aut carceris perpetuæ, dicitur metus cadens in virum constantem: maiora enim sunt hæc mala, & similia, quam ducere vxorē, & contrahere cum quacumque, cui qua licitè potest contrahi: talis metus dirimit contractum, non alius, cum minus est, quod timetur, quam quod ex timore malum contrahitur.

Secundum est, si post violentiam, is, cui incussa est vis, consentit etiam tacitè, manente altero coniuge in suo consensu, est matrimonium. Ita habet cap. ad id, de sponsal. & potest accipere is, qui passus est violentiam, si vult, alterum coniugem, cui non est violentia incussa, etiam nolentem, & mutuantem propositum, si fuit talis consensus post violentiam.

Tertium est, si post violentiam intercessit copula, in foro exteriori compelluntur ad contrahendum, & reputabitur matrimonium, at in foro interiori non censetur matrimonium, nisi fuerit consensus maritalis. Hæc de impedimento isto.

Circa ordinis impedimentum aduerte, quod, qui accipit subdiaconatum, & reliquos maiores ordines, habet votum solenne castitatis, licet ipse interius noluerit se obligare ad hoc, cum sumebat ordines: nam ex ipsa sumptione obligatur, secundum modum, quod Ecclesia eos dat; & illa notio sunt fo-

lum

lum noleiras, qua nollet se obligare; tamen absolute voluit, dum voluit ordines suscipere. Hoc autem verum dirimit contractum: & qui sic intendit contrahere, peccat mortaliter, & excommunicationem ipso facto incurrit, Clementina vnica, de consanguinitate, & affinitate: quæ excommunicatio, Episcopalis est. Aliqui dicunt, etiam contrahere irregularitatem; inter quos sunt Palud. 4. in dist. 37. quæst. 1. Ant. 3. part. tit. 1. cap. 8. Nauarr. cap. 22. num. 52. sed non probatur hoc per textum aliquem; ob id, incertum est.

De impedimento ligaminis.

CAPVT IX.

Impedimentum ligaminis est matrimonium ratum, non consummatum: cum enim aliquis contrahit cum aliquo per verba de presenti, non tamen est subsequuta copula, dicitur matrimonium ratum, non consummatum; hoc autem impedit, ne, vno viuente, alter coniugum contrahere possit cum alio; & si contrahit, nullum est matrimonium, licet consummatum per copulam, & habeat filios, sed deber redire ad primum, cap. de despon. duorum. Ante Concilium Tridentinum, magnum sequebatur inconueniens; aliquando enim homines secundo contraherant, nec poterant redire ad primum; quia primum forte fuerat clandestinum, & in foro exteriori probari non poterat: vnde cogebatur ab eodem foro exteriori manere in secundo, quod non erat matrimonium: at forum interius obligabat ad primum; ob id, Concil. Trid. vti diximus superius, matrimonia clandestina futura annullauit, nec vllum voluit esse matrimonium, quod non posset etiam in foro exteriori probari: vnde prædicta discordia cessat inter vtrumque forum.

Hic duo aduerte.

Alterum est, cum vnus coniugum, altero viuente, ipse tamen eum putans mortuum, probabili æstimatione ducit aliam, vel contrahit cum alio, non peccat; etiam si reddat, & exigat debitum, cum tamen primum sciuerit viuere, non amplius reddere debet. Quod si dubium tantum fuerit aliquod, absteat a petendo, licet non a reddendo. Ille tamen coniux, qui viuus reuersus fuerit, tenetur recipere suam coniugem, nisi probetur

E e e habuisse